

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XLIX. Iuonias

urn:nbn:de:bsz:31-102564

lib. 8. pag. 4. seqq. Cass. Peulcerus ut sibi hic in coniecturis placet, eius mortis causam refert ad Septenarium Saxonicae familiae fatalem, de divinat. gener. col. 21. Decessit enim postea, quam vixerat LXXII. annis: III. mensibus, IX. diebus, IK. horis, in templo arcis conditus. Balb. Mencius in Syntagm. epitaph. lib. 1. pag. 66. et reliqui rerum Sax. scriptores, Philippus Melancthon supremum officium ipsi testatus est carmine, quod extat in Chron. Sax. a Matth. Dressero aucto p. 527.

XLIX. IVONIAS.

Ivanquam institueram referre de Moldavorum (a) rebus universe, iamque materia creverat sub manu; tamen recessi ab instituto quod crederem, opportunius fore, si partem mihi seligerem illius historiae, in qua sigillatim bello enituit strenuus, idemque varii ingenii bellator IVONIAS.

(a) Horum, sive ut vocantur, Valachorum origines solícite eruit Io. Leunclavius Pand. Hist. Turc. p. 146. eaqve studii parte vincit Episcopum Nucerinum P. Iovium, et Sebastianum Munsterum. Adiungi possunt Aeneas Sylvius, Antonius Bonfinius rer. Vng. l. 1. decad. 1. qui Moldavos, quasi molles Davos, id est, Dacos censet appellatos: item Martinus Cromerus rerum Pol. l. XII. p. 216. De G. Hornio miror, quod, dum excuteret origines Valachorum, non excusserit una authores fide insigniores: Hist. Imp. p. 340. Sed is dum incertos secutus duces est, deflexit in lubrica fabularum. Quod aliocui pertinet ad Moldaviam maiorem et minorem, vid. exqvistae eruditionis Vir Io. Christoph. Becmanus Hist. Geog. p. 136. 137. Ad Montaninam ac Transalpinam, praeter accuratioros terrae mensores, nominabo autores Bonfinium, et Gorecium. Si quid insuper inter Moldavos Valachosque discriminis est, non detrit Cromerus. Caeterum hodierna consuetudine etiam Mocorum nomine veniunt. Thuanus Hist. l. XV II. A. 1556. olim pro parte Getarum habitos fuisse, opinatur Bonfinius. Alii veteribus Dacis vindicant.

§. II. De sorte nascendi non supperunt multa: nec facile scio, consilio id principis, an negligentiae scriptorum tribuam. Mihi sufficit, extare in eo vestigia Moldavicae stirpis, (b) unde iam olim et viri insignes, et Duces bellorum usu periti adoleverunt.

(b) Quod stirpis interest, certos de ea nos reddunt scriptores rerum Moldavicarum, atque ex his omnium evidentissime Leonhardus Gorecius, Eques Polonus, literis aequae ac armis clarus, in bell. Ivon. p. 24. is tradit, ex antiquis Valachiae regulis ortum esse. Thuanus nescio quo autore nixus scribit, ipsummet Ioaniam dictitasse se notum Stephani Valachorum Palatini. Quod patriam spectat et nativitatis locum, res valde ambigua est, eamque litem nunc non attinet expedire. Sunt, qui in Polonia natum

parent: reperiuntur etiam, qui in Masovia editum credant in lacem. Vid. Gorecius, et post eum Thuanus H. l. LIIX. Causas enim habeo, cur scriptores ferme domesticos inspicere ante externos velim, praesertim, quam hi illis sua ferant accepta.

§. III. Noscitur factis suis noster, (c) et quod forte imaginibus deest, id omne supplevit vigor militaris.

(c) Vulgo nominant Iohannem Valachum, nec absurde, et lingua Moldavorum convenienter. Alius adeo est a Iacobo Valacho, cuius meminit Thuanus H. l. XXXIIX. ad A. 1561. Noster enim si ab insigniori eventu aestimetur, memoratur ad A. 1572. David Chyrraeus hic turbat nonnihil seriem Moldaviae regulorum, in Valach. p. mib. 31. Ivoniae res gestas composuerunt ex professo Bartholomaeus Paprocius, ab industria nobis commendatissimus, et qui hunc sequitur praedictus Leonhardus Gorecius, fide et diligentia illi proximus. Praeterque hunc Iohannes Lasicius in hist. ingress. Pol. in Valach.

§. IV. Animus gloriae avidus fuit, corpus statura eximium, vultus decore virili gravis, membra innato robore firma memorantur. (d) Caetera ad militarem habitum comparata, manu et armis promptum indicarunt.

(d) Supplendus hic ex Gorecio Thuanus est: qui ingenium descripsisse contentus, de corpore viribusque silet. Ille vere sigillatim persequitur utrumque, Vegetii memor, qui et ingenium, et vires in milite pensandas, auctor est: de re militari l. x. c. 2. et 6. Hodieque Turcae insistant huic praecepto, qui dum legunt praetorianos, corporis vel maximam rationem habent, ut prodidit Ricautius. De veteribus Scythis id notius est, quam ut dici egeat.

§. V. Priusquam vero ad iusti maturique Ducis famam contenderet, five mora, five ratione altiores impetus sedavit, animumque applicavit ad mercaturam. (e) His rebus et aditum habuit ad proceres Sultani insigniores, et ingenia eorum penitus exploravit, et consilia spectavit ex propinquo. Donec speciosis artibus se insinuaret in Selymi (f) Turcarum Imperatoris familiaritatem, ac mox sui dissimilis, ex mercatore evaderet regulus (g) Valachorum.

(e) Olim apud Romanos Sarmatasque ab antro acciti, qui gererent summos magistratus. Nunc mira conversione apud Valachos evocantur ex taberna insistorum, qui regulorum obeant munus. Neque id prorsus insolens putabimus, qui sciamus, extitisse negotiatores apud Belgas, a commerciis maritimis subactos ad clavam navalis rei.

(f) Qui calculum ponunt, facile observant, Selymum II. fuisse, capta Cypro, et praeterea in Ionio mari commissis celebratum, quo vid. Petrus Pizarrus de bell. Cyp. l. unclavus, Thuanus, aliique.

(g) Regulus, scribo: haud enim facile est assequi, an, prout usus legem facit, recte scribatur Palatinus, seu quod significatione respondet, Varvoda. Namque com-

peritum est, Graecorum aemulatione despotas dici maluisse, quam *Vaivodas*. Forte ut indicium esset, dominatus nulla parendi lege adstricti, quem vulgo absolutum vocant. Eo vid. Leunclav. Pand. Turc. cap. 71. et ex eo Zach. Theobaldus bell. Huss. ad A. 1442. Hodie rudera quaedam affectati nominis conservant, titulo *Hospodar* appellati, imagine saltem amplissimae dignitatis, iubendi vero decernendique potestate adempta. Cuius tam foedae servitutis, in quam despotae isti redacti sunt, indignationem nec sub hoc tempore dissimulare potuit Hunkel, ancipiti inter fidem et rebellionem animi despotae, in tantum commotus, ut ambiat *Viesnovicii* patrocinium, postliminio, si per fortunam et vires liceret, in veterem clientelam rediturus, eiurato obsequio *Turcarum*. Quod si impleri eventum posset, plurimum proficeret Christianorum rebus, maxime *Polonorum*. Idque partim ob premendos ex propinquo *Turcas*, et alendos in hostico exercitus, partim ob transitum eorum per *Danubii* pontes impediendum. Et forte in ipsa *Graecia* non essent tuti, si *Valachiam* concordibus studiis recuperarem.

§. VI. Sed non quanta crescendi felicitas, tanta succedendi iustitia fuit. Namque omne praesidium habuit in calliditate, et quod praecipue dixerim, in opportunitate rerum, quum sciret, *Selymum* (h) nullas, neque iniquissimas comparandae pecuniae rationes aspernari, quo haberet, unde reficeret classem, et stipendia persolveret suis. Itaque occasione usus, praefectos pecunia, *Sultanum* officiis et largitionibus sibi devinxit, arbitratus, hanc viam esse expeditam ad dominatum viam. Neque illa opinio *Ivoniam* fefellit, vel maxime ideo, quod *Selymi* animus iamdiu ante multis offensio- nibus a *Bogdano* (i) antecessore alienatus esset: tum quod perspectum haberet, non innocentia, sed muneribus parari amicitiam *Turcarum*.

(h) *Avaritia Selymi exploratissima est: Gorec. Bell. Ivon. pag. 28. Cuius cum cepisset oblivio Ivoniam, ingens malum sibi accersivit, excandescente Selymo ob legatos sine muneribus dimissos, Id. p. 46. Quamquam enim id ipsi, dum se pro libero gerebat, consensione gentium licebat iure legationis militaris, tamen hic prudentiae legi aliquid dandum fuerat, praesertim quod ipsi res esset cum potentiori hoste. At haec fata hominum sunt, cum suis obliviscuntur, proxime ab exitio absunt.*

(i) *Bogdanus Alexandri Valachorum Palatini filius, Princeps nullius culpae scelerisque conscientia, ab animo minime illiberali celebratur, quem et invidia popularium, et ambitio Ivoniae deiecerunt, caetera innoxium. Prima mali causa fuit, quod Polonos magis comiter haberet, ac Valachos suos. Propterea hi irritati, ut olim Macedones adversus Alexandrum, artes repererunt, quibus opprimeretur velut omnis comitatus domesticae oblitus. Creverunt indies odia, iamque universi insurgere coeperant. Selymus studium in Polonos pro consilio rebellionis habuit, imprimis, quod se inscio inconsultoque foedus iniisset cum Polonorum Rege, Ivonias auxilii suspensiones, et sumpta obtre- tlandi ansa exaggeravit nefas, inde quid ex occasione agendum esset, observavit. Nec defuit consilio prosperior exitus, Bogdano in Rusiam profecto. Autor bell. Ivon. p. 19.*

20. 21. et seqq. Attendite animum, Principes. Tribuite aliquid amicitiae exterorum, sed praeferte indigenas, et date his locum, quem dedit conditio nascendi et virtus. Ascendite Germani Germanos, et suos quisque fovete: nullum certius vobis fidei vinculum, nullum tutius munimentum erit. Huc vid. anonymus Gallus de regn. ed. Ann. 1577. theorem. 3. Simul et prudenter agite cum civibus quorum novistis obsequium amiceps et studia diversa. Erit vobis exemplo Bogdanus, cuius absentia extitit potissima causa amittendi Valachiae Palatinatus. Erit novissime Carolus I. Angliae Rex qui si Tiberium imitatus, non deseruisset Londinum, Principem regni sedem, et caput Britannicarum rerum, feliciter eluctari potuisset ex funestissimis turbis. Quod argumentum eleganter persequitur Im. Hof. Historiam condidit Bateus in Elem. not. Anglie.

§. VII. Hinc a caliditate ad fraudes, (k) a fraudibus ad impietatem sola dominandi libidine abreptus est. Bogdano, ut modo traditum, immane Sultani odium excitavit, ac ne quid iniuriae deesset, audacissime affirmavit, partibus hostium studere. Nec satis id nostro ad promerendam Turcae gratiam erat. Etiam tanti dominatus spes religionis (l) dispendio constabat.

(k) Non iure, sed fuco et fallaciis obtinuit Palatinatum Ivonias. Atque id quidem de iure successione expeditum est. Tamest enim eius origo referatur ad ultimos Valachorum regulos, nunc tamen nullum huius momentum erat, quod iam dudum Ivoniae maiores iure atque possessione Palatinatus excidissent. Si quaestio sit, an iure exciderint, cogitandum, veteres controversias partium patientia et temporis diuturnitate sopitas non esse denuo excitandas. Alb. Gentilis de Iur. bell. lib. I. c. 22. Si potestas Sultani sive ut Domini beneficiarii, sive Domini clientelae obtendatur, et quae inde porro quasi ex scaturigine dimanat, libera electio exaggeretur, iterum disceptatio erit, legitima electio fuerit, nec ne? Et utrum non peracta sit contra instituta Valachorum, quod quidem colligere est ex iure, quae Io. Leunclavius habet supplement. Ann. Turc. p. 73. Accedit, quod Principes, quum semel inauguraverint sibi beneficiaria lege obnoxios, citra iniuriam eos non possint a parte iure dimovere, si nil admiserint beneficiarii ac clientium fide devincti, propter quod dimoveantur. Ad quid admiserat Bogdanus? Suspiciones colligebantur; sed has diluere paratus erat: criminationes adferebantur, sed et has refellere in animo habebat. Verum enim vero non audebatur Bogdanus, sed in dicta causa, et quidem absens movebatur loco: quidquid etiam huius sit, nulla dubitatio est, Ivoniam fraude et dolo impetrasse Palatinatus dignitatem. Historia repetatur ex scriptore belli Ivoniae: Iudicium civile addatur quasi condimentum.

(l) Initio Graecorum sacris initiatum fuisse, colligamus licet ex religione Valachorum, quae colitur ritu Graeco, de qua annotarunt Cromer. rer. Pol. lib. 12. pag. 216. et Edoardus Brerewood. scrut. relig. cap. 6. p. mib. 138. Auctor bell. Ivon. ex hac causa animum eius velut impietate efferatum notat. Nempe adeo praecepti turbidumque domi-

nandi affectus est, ut, quos laceffit, aut corrumpat incautos, aut non obnitentes subvertat. Quanto melius olim sentiebant Romani, apud quos religio publica privatis affectibus antecellebat, Florus Hist. Rom. lib. 1. cap. 13. Caeteroquin imitantur Ivoniam hodierni Cosaci, praesertim qui sunt partium Doroszenki, quibus religio saepenumero ludus est, nisi forte instrumentum est ditescendi ac virium augendarum. Ipse Doroszenkus Graecorum religioni initiatus, quam non pronus nuper fuit slecti in barbarae gentis sacrum! De Cosacorum motibus horumque causis nil addo: alienum enim hoc loco est, et iamdudum id executus luculenter est Paulus Plafecius.

§. VIII. Non audebat obsistere Bogdanus, perfidia barbarorum circumventus, et hosti adeo animis opibusque vigenti impar. Ergo adsciscitur Ivonias, (m) et muneri, quod Bogdanus gesserat, imponitur, ac inter festas Valachorum Turcarumque acclamationes renunciatur Valachiae Palatinus. Sed ut vehemens inquietumque Ivoniae ingenium erat, non multo post in gravissimas incidit calamitates, ac parvo temporis momento res maximas, principatum iuxta et vitam amisit. (n) Eo usque humana consilia nec opinantes frustrantur, et mille saepe casibus contra, quam destinamus, involvuntur.

(m) Scriptor belli Ivon. p. 25. memorat, Ivoniam prolixo Turcarum comitatu in Valachiam venisse, ac ut Bogdanum ingeniose deciperet, habitu mercatoris incesisse, vasfroque consilio consilium occupandi Palatinatus texisse. Quod satis felici eventu comprobatum, adactis in Verba Ivonia Valachis, et haud dubie, ut gens illa facile affectibus rapitur, novum regulum cum plausu atque gratulatione excipientibus: quod vehementissime odissent Bogdanum, ac prospera atque felicia cuncta sperarent sub recens creato Palatino. Nec facile quis negaverit, Turcas simili incitatos exemplo, altis, ut solent, vocibus, si grata sibi atque utilia evenerint, faustae ominatos esse: hoc magis, quod liberalitate et vitae quodam Turcis consentiente decoro plurimum gratiae atque existimationis apud eos adeptus fuisset noster.

(n) De hoc exitu recensetimus infra.

§. IX. Sed metu solutus erat Ivonias, quippe Sultani gratia, et popularium studiis subnixus. At cum ita existimaret, mox spe deceptum se sensit, et Sultani, ad quem tradendi Palatinatus iura atque auspicia pertinebant, insidias dolosque intellexit. Mittebat is legatum, qui aut posceret tributum plus duplo auctum, (o) aut denunciaret, principatu abeundum esse, et alii, qui pendere imperatum vectigal vellet, faciendum succedendi locum. Ivonias pristinae fortis beneficiique accepti immemor, postulati indignitatem ostendit suis, et recuperandae libertatis studium offert. Assentiuntur Valachi, et propositum Ivoniae laudant, ac in pleno senatu pro eo suffragia ferunt, rati, hoc auspiciatum tempus esse, quo avaritiae atque libidini Turcarum eripiantur. Sic legatus repulsam passus, a gente pertinacissima, atque exitii
X x x x
fui

sui ignara discessit, renunciaturus Sultano, Valachos autore Ivonia moliri res novas.

(o) Duplam pensionem commemorat Thuanus ad ann. 1574. Addit huic numero aliquid scriptor belli Ivon. pag. 28. 29. et 31. ac tributum duplo maius exogisse Selymam scribit, cuius auctoritati nunc stamus. Quamquam pauci ipsius meminerunt, nec ille, qui novissime de historicis Latinis spicilegium edidit, Iohannes Hallervordus. Allegat Zeilerus eius Historiam Valachicam, Basiliae A. 1588. vulgatam: sed quod recordari liceat, illa haellenus non occurrit: occurrit autem Francofurtensis ad dictum annum 1578. ex officio VVechehan. Neque vers hic praetermittendum duxerim manifestae ulsionis exemplum. Primo Ivonias Bogdano, mox Ivoniae regulus Valachiae Transalpiniae insidias struxit, script. bell. Ivon. p. 27. 28. Nempe interdum puncto temporis intercidit, cuius fructum diuturnum sperabamus. Sed ita provisum certa Dei lege est, ut fraudes fraudibus vindicentur, et quibus quaeque modis parantur, iis ipsa vicissim amittantur. Tum ab aemulo calumniis petebatur Ivonias, ut inim Selymi accenderet magis. Hocque dum agebatur, iterum par pari reddebatur. Ad haec referebatur de astu eius, et cogitata ad Sarmatas defectione, ut primum ipsi data facultas foret. Praeterea eius inconstantia, et iniquitas, et perfidia allegabantur, atque hoc tanto enixius, quod redisset ad pristina Christianorum sacra. Scilicet erant fallendi artes nostrae, quibus elaboretur, si persolveret tributum duplo maius, si donis honoraret Selymum, si conciliaret purpuratos, si comiter haberet legatos, si memor elicitelae obsequium pertinaciae, si pacem bello praeferreret, si denique retineret Mahomedis ritus. Sed nulla iam neque solertia, nec fraudes valebant: ambitio omne salutare consilium averit, ipsumque in rebellandi studio confirmavit, unde et Dei ultoris ira, quod in antecessorem peccasset, et benignitas apparet, quod in hac conversione fortunae nuntium misisset cultui Mahomedis, cui se paulo ante addixerat, ut Selymi gratiam captaret. At qui ferme hic laudo Selymum, quamquam alias barbarum, tamen in iudicando consideratum. Namque multo melius pronuntiabat in causa Ivoniae, quam Bogdani: quandoquidem tot calumniis lacescit, fidem patrocini sui dabit, si faceret officium clientis, et penderet veltigal. Verba Selymi, quae per interpretem indicari Ivoniae iusserat, literis mandavit Leonhardus Gorecius, Hist. Valach. pag. 29. Formula haec fuit. Selymus memor constantiae, virtutis, fidei tuae, non vult tibi in imperio (beneficii ac clientelae lege devincto) Valachiae molestus, si id tributum quamprimum mittes, esse. Verum enim vero ut quisque agit, ita sortitur exitum, ambitiosi ruunt, moderati conservantur. Adeo verum est, quod prodidit Polybius, scriptor prudentia et iudicio maximus lib. VI. Hist. Fortunam saepe, dum adhuc vigeat, prosperiorque futura censeatur, contrarias vel momento vices experiri.

§. X. Hoc rerum statu Selymus, quomodo Ivoniae factionem opprimeret, velut ita pudoreque excitatus assidue cogitabat. Cumque suo ductu experiri noller (p) bello, regulum Valachiae Transalpiniae (q) in vindictam

Ivoniae excivit, eiqve conficiendae huius rei curam mandavit, ipse arma, vires auxilia, et quicquid in tempore paratum promptumque habebat, suppeditavit. (r) Nec vanum Selymi consilium fuit, nec citra vincendi omen, Nam et Transalpino opportunior ad invadendum hostem aditus erat, et itinerum, quibus falleret, rationes exacte tenebat, et propter vetus Ivoniae odium impatiens morae, eoqve cupidissimus ultionis videbatur.

(p) Forte quis existimet, Selymum ob varias rerum difficultates Transalpinum Valachum Turcicis copiis cum summo Imperio praefecisse. At vero is se servabat gloriofiori hosti, et Ivoniam in tantum despiciebat, ut nollet in rebeli obsolescere gloriam suam: Idque partim propter alios Principes, partim propter opinionem, quae ipsi res magnae constabant, apud Turcas retinendam. Et quam securus fuerit Selymus, vel ex eo intelligamus, quod Transalpino praecipisset, captivum duceret Ivoniam, Moldaviamque Petro Fratri auspicio suo regendam traderet. Script. bell. Ivon. p. 46. Sed brevi illum poenituit tantae fiduciae, ut metus quoque cum incesset Valachiae, Graeciaeque amittendae. Id. p. 61. quod documento est, prudentes attentosque principes nil hostile infra curas suas ducere oportere. Multum enim sibi vindicat in rebus humanis fortuna, et securitas saepe iis aufert, quod tempestiva industria praesentique milite servaturi erant sunt sane plurima exempla, quae ostendant, ab exiguis initiis maxima pericula crevisse.

(q) Nec infestiores Ivoniae hostem optare Selymus, nec acriorem reperire potuisset. De causa belli tradere, non est arduum, si, ut res gestae sunt, recte teneamus, Quippe Selymi arma iusta erant atque necessaria ad honoris iurisque supremi Imperii nomine competentis defensionem. Reguli enim Valachorum, iudice Lennclavio, non multum distant a veteribus praesidiis provinciarum, praeterquam quod ordinarie continentur, ac transeant ad haereditatem, si in fide et gratia Sultani perseverent. Ac quum hoc forte non respondeat in solidum praefecturae Valachorum, satis tamen est, sacramento adactum fregisse fidem, et degenerasse ab officio beneficiarii civis, et nulla veterum meritorum conscientia repudiasse legatos Imperatoris atque Domini sui, cui ex causa asperioris tributi non continuo esset movendum bellum. Cogitare debuisset, Palatinatus Valachicos Imperio herili subditos libertatem dudum amissam sperare quidem, sed inire repetere non posse. Atque id ante oculos sibi ponunt Principes Transylvanorum, dum inter minas metumque Sultani agunt. Triste hic est recordari Georgii Ragotzi, Kemezyanos, infelicium Transylvaniae Principum, qui pro nutu a Turcis deiectioni sunt, relicta tamen ordinibus specie quadam electionis, ac privilegiis nonnullis, sibi autem confirmandi iure atque ex auctorandi potestate reservata, si Princeps quid agat moliantur contra beneficiarium iusiurandum. Huc conf. Dacia Iob. Trosteri Transylvani.

(r) Numerus fuit septuaginta millium Valachorum Transalpinorum, et triginta millium Turcarum, duorumque millium Hungarorum. Script. bell. Ivon. pag. 46. 48. praecipue 78. ex responso speculatorum ab Ivonia interceptorum,

(s) *Vera odii causa, quod Petrum fratrem suum communi eorum vitio, qui nimis necessitudinibus indulgent, everso Ivonia, ad dignitatem Palatinatus evectum cuperet Vid. script. bell. Ivon. p. 46. ubi legas, consilio Palatini Valachiae ulteriori respon- disse eventum.*

§. XI. Nihilo segnius res suas ordinavit Ivonias, Valachosque ad fortitudinem accendit, multa praefatus de libertate, quae non deminuta haec- nus, sed paene oppressa a barbaris esset. Igitur erigerent se et recte de pro- posito existimarent, animosque caperent viris dignos, persuasi, autore se- victoriam reportaturos. (t)

(t) *Extat Ivoniae concio ad Senatum Valachiae apud script. Hist. Val. pag. 31. 32. estque ea non quidem ingenii, sed spiritus militaris plena, et haud dubie plus au- daciae, quam prudentiae illa continetur. Nil ferme ingeminat, nisi odium serviti- tis: nec cogitat de eventu imminentium vicissitudinum: de parandis armis, de infra- enda acie multus sermo est. At non aestimat suas vires, multo minus, cum quo hosti res futura sit, hoc est, non cum regulo, qualis ipse erat, sed cum potentissimo pertinacissimoque imperatore, qui ab Euphrate ad Danubium usque tot gentium auxilia acci- re possit: Ipse vero a finitimis nec copias, nec pecuniam expectare audebat: Poloni quietem, non bellum optabant: Henricus insuper Polonorum Rex foedere prohiberi se ad summitendum militem dicebat, script. bell. Ivon. pag. 36. Vnum in Cosacis prac- fidium collocabat, sed minime tanto hosti sustinendo suffecturum, vid. ib. p. 37.*

§. XII. Nil renuebant Valachi, populus alioqui mobilis, et factioni- bus asfvetus. Addebant fiduciam Cosaci, (u) Duce Sviercevio magnis it- neribus a Borysthene, auxiliatum profecti, iamque cum Ivonia coniungere vires animosque parati. Dicitur non potest, quantum horum ardor, quanta ala- critas fuerit. Valachis salutem, sibi praedas, hosti clades mutua bellandi societate pacifcebantur.

(u) *Duo hic tradenda sunt, et nomen Cosacorum, et ingenium. De illis anno- tat Reinholdus Heidensteinius denotare viarum latronem, rer. Pol. l. XII. de hoc praeter Piasecium, idem testatur: post hos personatus Marinius de scop. Polon. Iob. Frid. Popping. Orb. illustrat. pag. 393. et qui novissime res belli statusque Polonici descripsit a- nonymus p. 147. ed. Norimb. A. 1666. Gens ista, si nulla alia, praedarum studiosissima est, temeritate, audacia, licentia immanisimos latrones imitatur. Olim Reipublicae Polo- nicae cives, nunc desertores facti, autore primum Chmielneckyho, quem A. 1649. pra- ditorem patriae iudicatum accepimus. Hodie sunt in clientela Turcarum, et Tataris iuncti foedissimas saepe in Poloniam irruptiones faciunt. Quamquam in universum omnes nolunt teneri obsequio Turcarum, praesertim Hanenkanae factionis, qui non pa- rum haecenus obstitit conatibus Doroszenkanis. Loca, quae incolunt, sive paludo- sa, sive montana, eoque fere inaccessa sunt. Olim cum Polonorum hostibus, nunc cum ipsis Polonis bella gerunt. Nec tamen inficias iwerim, iam tum superiori seculo indicia pra-*

praecipitis licentiae prodidisse. Nam ut apud Gorecium est pag. 38. inscio Henrico Polonorum rege, perinde ac si iure suo regerentur, Valachis suppetias tulerunt. Idem observat Heidensteinus, aetate Stephani regis erupisse proterviam gentis, quod sprete rei-publicae autoritate, non legibus, sed sua libidine cuncta facerent. Nostro tempore optamus, ut vario praecipitiqve ingenio absistant, et redeant ad corporis societatem, unde recesserunt. Rex regniqve ordines hic Venetos imitabuntur, qui ut Morlacos, ita ipsi Cosacos, si diligentiam adhibuerint, comitate et praemiis ad obsequium reducent.

§. XIII. Nil Ivoniae reliqum fortuna fecerat, quam ut iusto praelio periclitaretur incertae salutis eventum, et aut gloriose vincere aut ignominiose moreretur. Res quippe iam eo redierat, ut Tureae infestas cohortes immisuri, traicerent Moldavam (x) amnem. Cuius adventus fama cum perferretur, ex improviso castra hostis adortus, plurimos nil tale timentes oppressit, reliqvos terrore late edito fugavit. (y) Neqve eo fecius exciti in auxilium Svercevi velites fortissime exceperunt Turcarum impetus, et non modo irruentes strenue repulerunt, sed etiam instaurandae pugnae intentos hastis sclopetisque ita disturbarunt, ut, quum nec colligere se, nec reparare aciem possent, magno numero caderent, capti velut pecudes frustillatim concerperentur. His ex sententia gestis, focii in Valachiam ulteriorem (z) movent, urbesqve et oppida magna vi diripiunt, nullum vel foedisimae crudelitatis exemplum praetermittentes. Selymus accepto de hostium successibus nuncio, ferme Graeciae timebat, (aa) praesentemqve vicem ita dolebat, ut simul cogitaret de futuris. Itaqve suos viribus et supplementis auctos redire ad signa, et transire Danubium iubet. Nec moram facit Ivonias, accersitqve Czarnievecium castri Chocimiensis praefectum, (bb) ut in tanto gloriae victoriarumqve cursu adesset sibi, et munus praefecti militaris obiret, unde et dignitatem, et praemia, et praedas amplissimas adepturus esset. Venit Czarnievecius, et ab eo tempore omnis fortuna defuit Ivoniam. Ille enim Turcarum pollicitationibus corruptus, primo transitum Danubii permisit, mox contra datam fidem desertor factus, hostibus se iunxit, copiae, quas duxit sive subita defectione percussae, sive viribus suis diffusae, nec fugere, nec pugnare voluerunt. Hinc partim ab hostibus, partim a suis caesae protritaeqve sunt, ut sanguis toto campo manaret, cadaverumqve tumuli passim accumularentur. Iam sera omnia remedia videbat noster, consilia vel ex desperatione, vel ex deditioe capienda erant, praesertim quum sive coelesti ultione excusfi obsequii, sive perturbatione quadam ingenii castra sua iniquissimo loco metaretur. (cc) In ea rerum commutatione, Ivonias cum suis siti sudoreqve confectos cerneret, necessitati cessit, certis conditionibus vitae incolumitatem sibi suisqve pactus. Sed vix e castris excesserat, cum Turcae iurisiurandi septies repeti-

ti immemoris, (dd) in obvios effusi, omnes Valachos funestissima caede confecerunt, Ivoniae caput praeciderunt, truncum bestiis obiecerunt, et quasi honorem ac principale nomen quietemque non caperet, nulla venia dignum arbitrati, gladio expiandum nefas censuerunt.

(x) Hinc Moldaviae nomen recte arcescitur. Oritur ex amnis ex Dacia montibus, et inde longius labitur, Moldaviamque interluit. Vid. aut. Hist. Val. p. 11. Thuan. A. 1574.

(y) Scriptor belli Ivon. pag. 49. Faustum illud praelium exploratoribus debuit, qui de rebus Turcarum percunctati, nunciarunt idoneum tempus esse invadendi incertos. Evantque isti periti Turcicae linguae, et adeo ad dolum militarem instructores. Mox et id erat e commodo Ivoniae, quod emissi speculatores Turcarum captivi dicitur. Vid. Id. pag. 47. 48.

(z) Ant. Hist. Ivon. p. 49. 50. Soli evaserunt Palatinus Valachiae Transalpinae, et frater eius. Vi prope hi victores excefferint victorum modum, quod postea Turcis pari saevitia repensatum est. Gentes enim hae ut parum exultae sunt ad humanitatem, ita belli iure saepe utuntur, cum non est ratio huius exercendi.

(aa) Quam supra Transalpinam, nunc ulteriorem Valachiam dicimus, de qua multa in dustria tradidit Heidensteinus rer. Pol. l. XII. p. 359. Vnde cognitum pono, Valachiam citeriorem esse eam, cui regendae impositus fuit Ivonias, ulteriorem ab illa Danubio disterni, et per quandam loquendi eminentiam dici Valachiam. Valachorum nomen ignovit antiquitas, populus aliqui sat vetustus, et olim, quum coaluisset cum Imperio Romanorum, sive sub Dacia, sive sub Getis est comprehensus, quem nobilitavit expeditio Imp. Traiani. Ab Imperio Germanico semper separatas rationes habuit: Sedque ad sequiora tempora perveniamus, Valachia primo Hungariae, deinde Turcis, mox per vices iterum Hungariae Poloniaeque facta tributaria est. Thuan. ad A. 1574. Hodie utraque solo Turcarum iure continetur regiturque. Script. Hist. Valach. p. 61.

(bb) Nomen integrum, Ieremias Czarnaviecius Barcabalus. Ant. Hist. Val. p. 79. turpis sui Ducis proditor et transfuga, et mox a dolo ad perfidiam conversus, id. pag. 84. 91. Antea fuit praefectus Chocimi, aut. hist. Val. p. 25. Alii Chocimium signant, ut Heidenstein rer. Pol. l. 12. si munitum dicitur, scriptori bell. Ivon. id pro conditum munitionum illius loci intelligendum docet Heidensteinus.

(cc) Ivonias in extremo rerum discrimine non est sanctus officio boni Imperatoris, qui vel maxime ex Vegetii praecepto in id intentus esse debet, ut castra metetur iis locis, quibus agvandi pabulandique copia est, in qua parte peccavit noster script. bell. Ivon. p. 100. § 104. tamque circumstantiam praeterit Thuanus d. l. Alioqui conf. ad rationes et instituta militaria Veg. lib. 1. cap. 21. Scip. Amirat. diss. Polit. ad Tac. lib. 19. disc. 9.

(dd) Hinc accipe Turcarum animos, qui aliquando servant fidem, interdum violant; piget immorari exemplis. Neque tamen diffiteri ausim id de rebellibus potissimum

num interpretari Turcas. Ad rebelles quoque, dum quaesito argumentorum colore se pro liberis gerunt, haud dubie pactorum promissorumque iurato initorum sunt capaces. Quod non ita pridem in simili causa apud animum expendere debuisset, qui adversus Reinkingium scripsit Laurentius a Dript. in antidecal. prop. xi. art. 5.

L. STEPH. RATZ. COSACVS.

Sextus annus est, ex quo in Rusiam commeavi, et vidi, quae alii tantum fama acceperunt, et motuum, quos tota Europa mirata est, spectator ipse fui, ac ut pleraque acta fuerint, praesens observavi. Tum auctor tumultuum Stephanus Razinus venit in conspectum meum, qui audacia atque immanitate sua effecit, ut seditionis, quae Moscoviam tunc non modo perturbavit, sed etiam in extremum discrimen adduxit, initia, cursum atque exitum tradere cogitarem, et sive meis illa ipsa oculis adipei, sive ex propinquo haud falsis indiciis accepi, in commentarios referrem.

§. II. Quod prius quam expediam, paucis docebo, quod vetus Moscoviae ingenium, quae facies, quod nomen fuerit, quibus item vicibus creverit, quas provincias acquisiverit, et quomodo se a Tataris in libertatem vindicaverit, ac in tanta finium amplitudine imperium, nimia alioqui mole facile ruiturum servaverit.

§. III. Principio totus ille tractus Scythia appellatus est, inde Rhoxolanorum nomen increbuit, (a) ac diu multumque in usu ac sermone hominum fuit, usque dum Russi et Moschovitae dicerentur, hae gentes, et fractis Tatarorum viribus, amplissimas Europae Asiaeque provincias obtinerent.

(a) Ex Strabone Geograph. lib. 7. et lib. 2. collat. intelligimus, partem Scythiarum fuisse, et habitasse trans Borysthenem. Plinius H. N. lib. IV. cap. 12. iuxta Alanos, qui Luthuani sunt, collocat, et Rhoxalanos scribit, paulo aliter, atque Strabo, qui Ροξολάνους extulit. Et huic loco inferendum est, quod Iornandes, cum de rebus Geticis traderet, in describenda Scythia luculentam operam collocaverit, Borysthenem vero Danastrum dixerit, p. 84. Nec de Moschorum vocabulo dubitamus, esse antiquissimum, quoniam et Strabo eo designavit Asiae populos, ac regioni Moschicae partim Colchos, partim Iberos (Ponto finitimos, non Iberi fl. accolat) partim Armenios attribuit, l. xi. quem sequitur Pomponius Mela de situ orbis lib. 3. cap. 5. et ad sinum maris Hyrcani, atque adeo extra Europam positos refert. Hos a Mesech, sive Mosoch, deducunt Philippus Cluverius Germ. antiq. lib. 1. cap. 4. Chron. Cario-Peuceriae lib. 1. p. 23. G. Hornius hist. Imp. pag. 123. Ita vero ignorari non potest, ut Scythiam, sic et Moschos quondam

ratio-